

defectus ab ente, non potest sequi, et fundari in illo, cum id quod oppositum est repugnet opposito, quod vero sequitur, et convenit alicui, non repugnat illi. Ergo passio entis in sua ratione formali, non potest repugnare, et non opponi enti, si quidem sequitur ad illud, et convenit illi, alias passio non esset. Non ergo potest passio entis formaliter importare negationem, seu privationem primo, et per se, et directe, sicut ly cæcum, quia non potest in præciso, et nudo conceptu entis fundari, et consequi, id quod oppositionem habet ad ens, sed oportet concipere aliquid amplius. Id vero quod additur enti se habebit, ut conditio, vel connotatio requisita, ratione cujus unitas consurget in ente, connotando negationem divisionis, qua connotatione, seu conditione posita, ipsa entitas formaliter unitatem constituit.

X. Ex hoc autem probatur, quod non possit unitas solum materialiter, et ex parte subjecti includere positivam entitatem, et ex parte rationis formalis solum privationem, nam hoc modo, quæcumque privativa, et cæcum, tenebrosum, et similia includunt positivum ex parte subjecti, et materialiter, quia illæ privationes solum possunt esse in aliquo subjecto positivo, ergo si solum hoc modo, id est, ex parte subjecti unitas includit positivum, habebit se, sicut pure privativa, ut cæcum, et similia, quibus non repugnat includere ex parte subjecti, et sui materialis, et consequenter solum id quod privationis est se habebit, ut passio entis, nam in passionibus, id quod materialiter, et ex parte subjecti se tenet, non ad propriam passionem, sed ad naturam, seu subjectum, cujus sunt passionem spectat; hoc autem est inconveniens, quod propria passio entis sit defectus, seu privatio, et per se consequatur

ad ens, ut ens est, ut probavimus, ergo, etc.

XI. Dices: Totum quod entitatis est in unitate habet rationem subjecti, si quidem unitas est passio entis, tamquam subjecti, cui convenit; ergo non potest habere rationem consecuti ad ens, neque ut propria passio ejus, si quidem quidquid est ens, est subjectum unitatis, non passio entis. Respondetur in ipsis transcendentibus impossibile esse, quod propria passio omnino distinguatur a subjecto, alias transcendentia non essent, si non se includerent, sed solum distinguuntur quoad modum concipiendi. Unde dicit D. Thomas q. 1 de verit. art. 1 ad vi: « Quod verum, et ens differunt ratione per hoc, quod aliquid est in ratione veri, quod non est in ratione entis, non autem ita quod aliquid sit in ratione entis, quod non in ratione veri, nec per essentiam differunt, nec differentiis oppositis invicem distinguuntur. » Itaque idem ens sub una habitudine, vel connotatione, aut conditione consideratum, dicitur passio sui ipsius absolute considerati, quatenus absolute, et secundum se exprimit essentiam, sub tali vero, vel tali habitudine, aut connotatione consideratur ut modus entis. Unde requiritur illa connotatio, vel conditio, ut concipiatur ens, non ut substantia, sed ut modus, seu ut alio modo expressum. Et illa conditio, vel connotatio debet esse aliqua negatio, vel privatio, aut respectus rationis, quod in re non datur, ut formaliter existens, sed ut fundamentaliter et eo modo, quo negationes in se esse dicuntur, vel respectus rationis fundari. Unde dicit D. Thomas citato loco in corpore: « Quod secundum hoc aliqua dicuntur addere ad ens, in quantum exprimunt ipsius modum, qui nomine entis non exprimitur. » Quem modum dicit generaliter consequi ad

ens, sicut unum, verum et bonum; si vero sit specialis modus, ut esse per se, vel in alio, sic constituitur speciale ens, ut substantia, vel accidens.

XII. Ex quo etiam constat, id quod aliqui inquirunt, an unitas sit ipsa realis entitas entis, an modus ejus? Respondetur enim quod unitas exprimit in sui conceptu modum entis, non tamen modum, qui sit aliquid distinctum, et extraneum ab ente, sed qui est ipsa entitas concepta sub quadam habitudine, vel connotatione, sub qua modificat entitatem absolute conceptam. Itaque idem ens absolute conceptum est, sicut essentia, et sub connotatione alicujus negationis, sed sub tali habitudine conceptus est modus sui absolute concepti, nec alio modo in transcendentibus distinguitur modus, et res, seu modus, et substantia, non penes differentias entium, sed penes diversas connotationes, seu habitudines, quarum una se habet, ut modificatio alterius. Ratio est, quia si transcendentem se habent, entitas unius debet imitari in entitate alterius, alias transcendentem non se haberent, non ergo debent distingui ibi modus, et res, ut diversæ entitates, sed ut eadem entitas secundum diversas expressiones. Unde dicit D. Thomas citato loco ex quæstione de veritate, artic. 1: « Quod enti non potest addi aliquid quasi extranea natura per modum, quo differentia additur generi, vel accidens subjecto, sed secundum hoc aliqua dicuntur addere supra ens, in quantum exprimunt ipsius modum, qui nomine entis non exprimitur. » Et istos modos entis distinguit, quod aliqui sunt speciales, alii generales, qui consequuntur ad omne ens. Et hic modus generalis, seu transcendentalis, sed consequitur ens in se, vel in ordine ad aliud. Si ens in se, vel exprimit ens affirmative, et sic ab-

solute dicitur affirmative, et significat ens per modum essentiæ, vel exprimit negationem, quæ consequitur omne ens absolute, et hoc est unum, quia unum est ens indivisum. Constat ergo quod unum exprimit modum entis, non qui sit alia natura positiva ab ente, sed eadem entitas sub nova connotatione negationis expressa. Unde non est dicendum, quod unum addit super ens non solum negationem, sed etiam modum realem positivum, qui tamen non realiter, sed solum conceptione nostra addatur, et quod iste modus sit fundamentum proximum negationis, ut dicit Biescas ubi supra dub. 11, concl. 111 et v. Etenim iste modus, qui non realiter, sed nostra conceptione additur, non est ipsa negatio per nostrum intellectum concepta ad instar entis, sed fundamentum talis negationis, ut dicit iste auctor. Antecedit ergo ipsam negationem, utpote fundans illam; sed quidquid antecedit negationem illam divisionis, non est id quod unum addit super ens, neque realiter, neque conceptione nostra; tum quia ille modus in se debet esse ens, et consequenter indigens in se unitate, et habens unitatem non superaddens enti, ut unum sit; tum quia super ens solum potest intelligi, quod addat aliquid rationis, sive negatio sit, sive relatio, ut dicit Div. Thomas in præsentibus articulo 1, q. 221 de veritate, art. 1. Nam ultra ens, quod complectitur omnia, nihil restat, quod addi possit, nisi non ens, seu ens rationis, ergo ille modus positivus fundans negationem non intelligitur superaddi, sed includi in ente. Potest tamen dici, quod superadditur enti illud positivum simul cum negatione, quia novo modo exprimitur ens, ut fundans illam negationem, non quia nova natura addatur, ut dicit D. Thomas qu. 1 de verit. art. 1.

## SECUNDA DIFFICULTAS.

XIII. Circa secundum punctum supra positum sit secunda conclusio. Privatio, quæ importatur in unitate directe, et per se est privatio divisionis, quatenus res constituitur indivisa in se; respectu vero multitudinis solum dicit privationem in quantum in multitudine invenitur divisio, qua directe privat indivisio unitatis. Est contra Vazquez ubi supra disp. CXIX, c. II, circa finem. Sed est expressa S. Thomæ infra quæstione XXX, art. IV ad III, ubi inquit: « Quod unum est remotivum multitudinis, sed divisionis, quæ est prior secundum rationem quam unum, vel multitudo. » Et in præsentī questione, art. I ad IV inquit: « Quod unum opponitur privative multis in quantum in ratione multorum est, quod sint divisa. Unde oportet, quod divisio sit prior unitate non simpliciter, sed secundum nostram apprehensionem, sed multitudo etiam secundum rationem consequenter se habet ad unum, quia divisa non intelligimus habere rationem multitudinis, nisi per hoc quod utrique divisorum attribuimus unitatem. » Et sic concludit: « Quod prior est conceptus entis, secundo est divisio per hoc quod dividimus inter ens, et non ens. Tertio est unum, quarto est multitudo. » Ecce quomodo secundum D. Thomam oppositio, et privatio imbibita in unitate non est directe respectu multitudinis, sed respectu divisionis, et solum opponitur multitudini, in quantum in ea invenitur divisio. Imo ipsa divisio non constituit multitudinem, nisi in quantum adjungitur unitas cuilibet divisorum. Unde divisio directe, et per se habet unitatem dissolvere, multitudo vero solutam unitatem

supponit, addit autem supra divisionem unitatem in quolibet divisorum, ut constitua tur multitudo, quia ex pluribus unitatibus constat multitudo.

XIV. Unde sumitur fundamentum hujus conclusionis, quia privatio reperta in unitate, illius formæ debet esse privatio, quæ directe, et per se dissolvit ipsam unitatem si ei adjungatur. Quod autem primo et per se unitatem dissolvit est divisio, facta enim divisione, non remanet unitas, quæ antea erat, quia non remanet indivisum, neque in unitatem redactum et ad se collectum. Quod vero resultet multitudo est quid consequens ad divisionem, et sic jam supponit unitatem solutam, requiritque cuilibet divisorum adjectam esse unitatem, quibus multitudo constituatur, quæ unitas adjecta non opponitur directe unitati solutæ, sed per accidens se habet ad illam, ergo privatio inventa in unitate directe, et per se est privatio divisionis, multitudinis autem solum in quantum in ea reperitur divisio.

XV. Ex quo colligitur quomodo unum, et multa opponantur inter se, quomodo etiam multitudo ex unitatibus constet, de quo agit D. Thomas hic articulo secundo. De primo jam dictum est quo modo unitas opponitur multitudini, scilicet ratione divisionis repertæ in multitudine, et ratione indivisionis repertæ in unitate, quæ est oppositio privativa. Opponitur etiam unum multitudini relative, non considerata solum divisione, et indivisione, sed considerata unitate, et plurificatione ejus, quatenus multitudo præter divisionem includit plures unitates adjectas singulis membris dividendis, ex quibus consurgit multitudo, sic enim unum est principium multitudinis, et respicit illam, sicut

principium principiatum, et derivatum a se, et ulterius si sit unum, et multum in genere quantitatis respicit plura relatione mensuræ ad mensuratum, ut supra explicavimus.

XVI. De secundo quomodo multitudo ex unitatibus componatur, D. Thomas docet hic articulo II ad II, quod multitudo componitur ex unitatibus non secundum quod habent de indivisione, sed secundum quod habent de entitate sicut partes domus constituunt domum in quantum sunt corpora, non ut non domus. Unde assimilat D. Thomas multitudinem toti heterogeneo, quod componitur ex partibus dissimilaribus, non enim habet rationem totius. Quæ duo non videntur coherere. Nam unitas quæ est pars componens multitudinem in tantum est pars dissimilari, nec habet formam totius, id est, multitudinis, in quantum caret forma multitudinis, id est, divisione, seu in quantum est indivisa ex alia vero parte dicit, quod componit ratione entitatis, et non ratione indivisionis, ratione autem entitatis non est pars dissimilari, sed ejusdem rationis cum tota, aut saltem potest esse, sicut quando fit multitudo ex unitatibus ejusdem speciei v. g. ex hominibus, vel ex lapidibus. Si autem dicatur, quod multitudo quantum ad id quod materiale est componitur ex unitatibus, ut ex partibus homogeneis, non quantum ad id quod formale est, contra est, quia tunc multitudo non componetur ex unitatibus ut entitates sunt, sed secundum quod habetur de indivisione, sic enim ratione indivisionis carent forma multitudinis, et non sunt homogenea cum ipsa.

XVII. Respondetur duo illa optime inter se coherere, nam partes componentes aliquod totum, et considerantur, quantum ad id quod

pertinet ad substantiam, et quantum ad id quod pertinet ad conditionem requisitam ad componendum. Quoad substantiam quidem componunt ratione entitatis suæ, quæ præbet illis substantiam et formalem rationem componendi. Quoad conditionem autem componunt in quantum carent forma multitudinis, id est, pluralitate multarum unitatum, non vero ut præcise carent divisione, nam ut diximus divisio sola non est multitudo, sed est solutio unitatis, multitudo autem ultra divisionem dicit pluralitatem unitatum, et hac carere debent partes componentes multitudinem, ut componentes sint, non enim componere possent, si jam essent ipsum totum, quod componendum est, sed tamen illam carentiam habent, ut conditionem requisitam, non ut substantiam componendi, nihil enim componit alterum ratione negationis, sed ratione substantiæ, et entitatis quam habet; sicut linea, et superficies componunt corpus, et binaris componit ternarium non ratione indivisibilitatis quam habent, et carentiæ ejus quod componunt, sed ratione quantitatis quam includunt v. g. longitudinis, vel latitudinis, aut numeri, etc. Quando ergo dicit D. Thomas quod unitas componit multitudinem in quantum non habet formam multitudinis, id est, in quantum reduplicat conditionem requisitam, quando autem dicit, quod unitates constituunt secundum id quod habent de entitate, non secundum id quod habent de indivisione, reduplicat rationem formalem. Partes autem heterogeneæ, licet habeant dissimilitudinem cum forma totius, non tamen dissimilitudo est ratio componendi, sed conditio.

XVIII. Ad replicam omissa sententia Suarez disput. IV met. sect. VI, quod si multitudo consideratur

quantum ad totum quod includit, componitur ex unitatibus tam sub ratione positivi, quam privati. Hoc enim intelligi non potest, nisi modo jam explicato, quia videlicet positivum sit formalis ratio constituendi, privativum autem solum conditio, non vero quod ex æquo sub utraque ratione possit unitas constituere.

XIX. Respondetur ergo quod compositio multitudinis quantum ad id quod per accidens, et materialiter se habet in illa v. g. quod sit multitudo hominum, vel lapidum, etc. potest componi aliquando ex partibus homogeneis, et ejusdem rationis, sicut multitudo lapidum ex solis lapidibus constat, aliquando etiam potest constare ex partibus diversæ rationis, ut multido ex lignis, et lapidibus simul. Sed totum hoc materiale, et per accidens est ad ipsam rationem numeri, vel multitudinis. Hæc enim per se componitur ex unitatibus formaliter loquendo secundum quod multitudo, dicit formaliter quoddam totum, seu quoddam compositum ex unitatibus. Sub hac formalitate, et ratione dicimus, quod componitur ex unitatibus ad modum totius heterogenei, quantum ad hoc, quod licet ratio formalis componendi sit id quod positivum est, et entitativum in unitatibus, et ex hac parte possit esse ejusdem rationis totum et pars, multitudo et unitas, tamen quantum ad conditionem requisitam debet habere privationem totius, seu multitudinis, et hac ratione dicitur se habere, ut pars heterogenea, et dissimularis.

## TERTIA DIFFICULTAS.

XX. Circa tertium punctum, dicendum est, quod in uno formaliter ut unum, et sub conceptu unitatis solum includitur positivum cum in divisione, seu negatione divisionis

in se. Divisio vero a quolibet alio, non includitur formaliter in conceptu unius, ut unius, sed ut distincti, seu diversi, si enim respicit aliud extra se a quo separatur, unitas autem magis importat conceptum absolutum, et ad se, quam respectivum ad aliud extra se. Est D. Thomæ qui in quæstione 1 de veritate, art. 1 inquit: « Negatio, quæ est consequens omne ens absolute est indivisio, et hanc exprimit hoc nomen unum, nihil enim aliud est unum, quam ens indivisum. Si autem accipiatur ens secundum ordinem unius ad aliud, hoc potest esse dupliciter: uno modo secundum divisionem unius ad aliud et hoc exprimit hoc nomen aliquid, dicitur enim aliquid quasi aliud quid. — Unde sicut ens dicitur unum in quantum est indivisum in se, ita dicitur aliquid in quantum est ens divisum ab aliis. » Ergo secundum D. Thomam divisio ab alio non ingreditur formalem rationem, et conceptum unius, ut est unum, sed ut formaliter est aliquid, quod utique diversam formalitatem importat. Item in quæstione IX de potentia, art. VII: « Unum, inquit, quod convertitur cum ente non addit supra ens, nisi negationem divisionis, non quod significet ipsam indivisionem tantum, sed substantiam ejus cum ipsa, est enim idem quod ens indivisum; multitudo autem correspondens uni, nihil addit supra res multas, nisi distinctionem, quæ in hoc attenditur, quod una earum non est alia. » Et concludit, quod cum unum addat super ens unam negationem secundum quod aliquid est indivisum in se, multitudo addit duas, prout scilicet aliquid est in se indivisum et prout est ab alio divisum. Ecce quomodo manifeste ponit D. Thomas ad unitatem solum pertinere unam negationem, scilicet ut in se sit indivisum: esse autem divisum a quo-

libet alio magis pertinet ad multitudinem, quia id pertinet ad distinctionem unius ab alio.

XXI. Unde sumitur ratio hujus asserti, quia divisio ab alio constituit ens separatum, et distinctum ab eo, quod est extra se, et sic magis pertinet ad constituendam unitatem in ordine ad se in quo unificatur, et ideo potius conducit ad constituendam multitudinem divisio ab alio in unitate, quam ad absolutam rationem unitatis, hæc enim sufficienter intelligitur in se constituta, quamdiu non soluta, non solvitur autem unitas quamdiu non dividitur in se, ergo sola indivisio in se sufficit ad unitatis conceptum qui est in ordine ad se. Divisio vero ab alio supponit unitatem in se esse constitutam, et solum reddit illam ab alio extra se segregatam, et comparatam alteri extremo, ut cum illo tamquam cum separato constituat multitudinem. Unde si esset unum tantum ens in rerum natura, et nihil aliud a quo divideretur, sicut Deus quando nihil erat creatum, esset vere, et formaliter unum, et non divisum ab alio positive, quia non esset aliud a quo distingueretur realiter.

XXII. Nec obstat quod unum definiri solet quod est indivisum in se, et divisum a quolibet alio, nec potest intelligi vera ratio unius, nisi intelligatur seorsum, et distinctum ab alio. Respondetur enim quod illa definitio traditur non solum de uno quantum ad suum absolutum, et formalem conceptum, sed etiam quantum ad connotatum, et respectivum, nam ex suppositione, quod sint alia, oportet quod id quod est unum ab illis secernatur, et distinguatur, sed de suo formali, et absoluto conceptu id non postulat. Etsi ergo divisio ab alio consecutum quid et connotatum in unitate ex suppositione, quod sint alia præter

ipsum unum a quibus possit distinguui, non vero ad absolutum, et particularem conceptum unius pertinet de se.

## SOLVUNTUR ARGUMENTA.

XXIII. Primo, arguitur ad probandum, quod unitas de formali consistat in sola negatione divisionis. Nam in primis objicitur D. Thomæ supra quæstione VI, art. III ad 1, ubi dicit: « Quod unum non importat rationem perfectionis, sed indivisionis tantum. » Et infra quæstione XXX, art. III, ubi repetit: « Quod unum non addit supra ens, nisi negationem divisionis. » Et ratio est, quia illud est formalissimum in conceptu unitatis, quo per se primo distinguitur unitas ab aliis passionibus, et quod formaliter addit super ens, sed non distinguitur ab aliis passionibus, et ab ente per id quod entitatis est, quia in hoc convenit cum illis. Similiter, ut consequitur ad ens, et addit super ens, non est entitas, sic enim non sequitur, sed coincidit cum ente, formaliter autem unitas dicit consecutum ad ens, quia formaliter non importat id quod entitatis est, sed quod privationis, seu indivisionis.

XXIV. Respondetur ad primum locum D. Thomæ ex quæstione VI, quod non loquitur de indivisione pro pura privatione, sed ut dicit privationem divisionis simul cum suo fundamento, quod est ens, seu loquitur de indivisione fundamentaliter, et non pure formaliter. Cujus ratio est, quia subdit Div. Thomas: « Quod ista indivisio competit unicuique rei secundum essentiam suam, et quod quælibet res est una per suam essentiam, non autem bona. » Loquitur ergo de unitate non solum quantum ad id quod est per privationem, sed etiam quantum ad id quod est per